

LVCAS HORBERVS PRAEPOSITVS IN VVALSEN.



Vcas ille in Suevia natus & educatus à teneris  
annis operā literis nauauit, & in patria prima  
fundamēta iecit. Inde seie ad Academias conferēs  
præclarām eruditionem acquisiuit, & omnibus gra-  
tissimus fuit. Postea in Vualsen oppido Sueviæ,  
(quod hodie Truckfessios à Vualdburg dominos  
agnoscit) collegium S. Augustini canōnicornm re-  
gularium ingressus, eum ordinem assumpsit, & gna-  
uiter studijs & pietati inuigilauit. Itaq; eius loci ca-  
nonici eum suum præpositum elegerunt. nam huic  
eruditio niis rerum prudentiam & raram facundiā  
adiūxit, atq; res sibi commissas fideliter expediuit.  
Vnde Maximilianus Cæsar cum id cognouisset, eū

inter consiliarios asciuit, atq; Oenipontires maximas suo nomine expedien-  
das cōmendauit, quas quidē Lucas magna diligētia perfecit, & cūctis gratis-  
simus extitit. Cū hoc modo per annos ii præpositurā optimē administrasset,  
tandem anno 1503 obiit, & honestē apud suos sepultus fuit. Anon.